Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0001

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0002

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0003

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0004

1694.

1. Eyselius, Joannes Philippus: De glandularum natura et usu

2.-3. Gottwald, Johann Balthasar: De nuoster repertis instrumentis 2 Exempl

4. Lauter, Christianus Fridericus: De prohibita sequestratione pecuniae

5. Lilien, Melchior Ludolphus: De donationibus.

6. Matthiae, Dieterius Wilhelmus, facultatis juridicae assessor primarius, et h.t. decanus: aequo et cordato lectori salutem. (ad disputationem inaug. Guilielmi Hieronymi Brueckneri invitat)

7. Matthiae, Dieterius Wilhelmus: De transactionibus.

8. Matthiae, Dieterius Wilhelmus: De praestantia juris canonici prae jure civili in usu fori

9 Matthiae, Dietericus Wilhelmus: De civilissima continuatione possessionis bonorum defuncti, sine nova heredum apprehensione, vi solius legis statutariae

10. Meierus, Joh. Henr: De jure protimiseos lineari

11. Meierus, Joh. Henr.: De judicio petitorio et possessorio

12. Meierus, Johann Henricus: De successione feudi

13. Streit, Joannes Philippus: Conjux Justinianeus.

14 Streit, Urbanus Josephus: De tempore

15. Wincop, Joannes Matthias: De jure patronatus

1695

1a. Albinus, Johannes Georgius: Delinquens defensus Der vertheidigte Mißethäter. 2 Exempl.

2. Fleischhauer, Augustus Fridericus: De causis, quibus successio conjugis amittitur

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0006

3 Meier, Joh. Henr.: De jure hereditatis jacentis.

4. Sode, Johann Hermannus: De silentio

5. Streit, Franz Philippus: De beneficio appellationis

6. Vesti, Justus: De pollicitatione

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0008

DIVINIS AUSPICIIS
*DISPUTATIO INAUGURALIS,*
DE
# JURE HÆREDITATIS JACENTIS,
*Quam*
Ex DECRETO & AUTHORITATE
*Ampliſſimi JCTORUM Ordinis*
IN PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA
PRÆSIDE
*VIRO MAGNIFICO, & PRÆNOBILI,*
DOMINO
## JOH. HENR. Meier/
*JCTO, & Decretal. Prof. Publ. Facult. Jurid. p. t. DECANO, Judic. Elector. Mog. Aſſeſſore, &c.*
PROMOTORE & FAUTORE ſuo honoratiſſimo,
*Pro LICENTIA DOCTORALEM GRADUM obtinendi,*
Publico Eruditorum Examini
*Die 8. (18.) Aprilis, A. C. M. DC. XV.*
Horâ IX. in Auditorio Collegij Major.
ſubmittet
## LEONHARDUS Ehrhard/
Smalcaldenſis,
Regiminis Saxo-Meiningenſis Advocatus.

*ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.*

# VIRO

*Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Excellentiſſimo,*

DOMINO

# CONRAD-JOHANNI MESSIO,

JCTO Celeberrimo, Sereniſſimæ Aulæ Saxo-Meiningenſis Conſiliario intimo & Protoſynedrij Politico-Eccleſiaſtici, ut & Cameræ Præſidenti Gravisſimo, Spectatiſſimo, Directori Meritisſimo,

*Domino Patrono ac Mecœnati ſuo perenni honoris & obſervantiæ cultu ſuſpiciendo, atqve æternùm colendo,*

Specimen hoc Juridicum Inaugurale in gratitudinis Symbolum & continuandæ benevolentiæ & affectionis incitamentum cum prolixo omnigenæ proſperitatis & divinæ benedictionis voto ac ulteriori officiorum oblatione inſcribit & dedicat

*Nobilisſimi, Ampliſſimi & Spectatisſimi Nominis*

Cultor ac Cliens deditisſimus

LEONHARDUS Ehrhard.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0010

# DISSERTATIONIS

De

## *Jure hæreditatis jacentis ingreſſus præliminaris.*

AD eundem propè modum, qvo ſubtilitate Juris Civilis multa introducta ſunt, qvæ jure naturali ſeu gentium incognita erant, varia qvoqve ejusdem Juris authoritate à veritate ac rerum naturâ aliena viſa ulteriùs excogitata eſſe, qvilibet facilè, cui Jurisprudentiæ noſtræ interiora levi modò oculo contemplari licuit, annuet. Cùm enim propter variarum rerum & negotiorum civilium naturam ac conditionem ex juris rigore multi actus atqve egregij effectus non ſine magno tùm privatorum, tùm ipſius reipublicæ incommodo debuiſſent fieri irriti, inductione quadam fictitiâ æquitate pariter ac neceſſitate ſvadente hæc res ſanari cœpit. Fictionis hujus vis, naturaliter non verum licèt pro vero, ſpecioſo adhibito colore, ad tempus ſupponat, *Renneman. Jurispr. Romano-Germ. diſp. 17. de princip. Jurispr. th. 10.* in tantum poſtea crevit, ut juris etiam inſigni ef-

fectu non deſtitueretur, *Maſcard. de probat. qvæſt. 16. num. 11.* Hinc lex in hujusmodi actibus non fictè, ſed verè operari dicitur, ſicuti ex Anton. de Butr. *conſil. 20.* refert Senat. Pedemont. *deciſ. 126. num. 5.* Ut de illis tanqvam de caſibus veris omninò judicandum ſit, *l. 14. ff. locat.* imò aliqvando fictio potisſimum in actibus fictis plus poteſt, qvàm veritas, *Bart. in l. ejus, qvi ff. ſi cert. petat. num. 5. pr.* Rem ipſam videbimus in exemplis: cùm nimirum juxta verum rei ac ſtrictum juris ordinem Tertius, qvi me rogabat, ut pecuniam ipſi crederem, à debitore meo, cum effectu, qvo iſte liberetur, nihil poſſet accipere, obſtante nihilominus vinculo obligationis, cujus vi priùs, mihi ipſi qvàm ſolveret, non poterat liberari; id ipſum autem multa crearet incommoda, qvoniam dilatio tali circuitu facta, nunc Mihi, nunc Tertio fieri poſſet periculoſa, celeritate conjungendarum inter ſe actionum unam occultarunt Juris Autores actionem, ut habet *Ulpianus lib. 32. ad Sabin.* h. e. brevi manu Me à debitore meo priùs accepiſſe pecuniam. illiqve Tertio poſtea illam crediḋiſſe finxerunt, vide *l. 3. §. pen. ff. de donat. inter vir. & uxor.* & benè de traditione hac ficta diſſerentem, Strauch. *Exercit. 6. th. 39.* Porrò, qvi rem à non domino juſta aliqva ex cauſa, h. e. titulo ad transferendum dominium habili, b. f. acceptam atqve poſſeſſam caſu poſtmodum, uſucapione nondum completâ, amiſerat, de jure civili nullam habebat actionem ad illam perſeqvendam; cujus rationem reddit Imperator §. 4. *Inſt. de action.* qvod ſcilicet aliàs hoc caſu nulla alia actio jure civili ſit prodita, qvàm vindicatio,

qvæ

qvæ tantùm pro fundamento habet dominium, qvod uſucapione non completâ iſte non habet: Æqvitate igitur pariter ac utilitate motus Prætor ſe interponebat, dabatqve actionem, fingendo rem ab illo jam ante amiſſionem fuiſſe uſucaptam, qvæ tamen uſucapta non erat, ne, hic æqviore nixus jure à poſſidente rem ſine titulo eo in paſſu duntaxat propter actionis defectum vinceretur, *Frantzk. ad alleg.* §. 4. *Inſt. de action. num. 1. & ſeqq.* Sic aperta hæc res eſt in jure poſtliminij *l. 16. ff. de captiv. & poſtlim.* in eo, qvo pro nato habetur, qvi adhuc eſt in utero *l. 7. & l. 26. ff. de ſtat. homin.* itidem pro mortuo, qvi adhuc dum vivit *l. 63. §. ult. ff. pro ſoc.* econtrà pro vivo, qvi mortuus eſt, *pr. Inſt. de excuſ. tut. & curat.* Ulteriùs cum prodigus furioſi *l. 1. ff. de Curat. furioſ. l. 40. ff. de R. J.* furioſus abſentis loco habetur *l. 2. §. furioſus ff. de Jur. Codicill. l. 124. §. 1. de* R. *J.* & alijs innumerabilibus. Præprimis autem fictio hæc vires ſuas exerit in difficili hæreditatis materia. Etenim ne mortuo domino ejusdem jura atqve utilitates ex rebus hæreditarijs ante aditionem provenientes perirent, variæqve per ſervos acqviſitiones eſſent inanes, lege jubente hereditas perſonæ debuit ſubire vicem ac repræſentare defunctum. *l. 34 ff. de A. R. D. Schneidew. ad Inſt de teſt. ordin. num. 10. Jacob. Oiſelius ad Inſt. Caji lib. 2. tit.* 1. Unde iſta vocatur in jure dominus & domina, *l. 13. §. 2. ff. ad L. Aqvil. l. 15. ff. de interogat. in jur. faciend. Frantzk. ad pr. Inſt. de hæred. qvalit. & differ. num. 5.* Qvid ergò in ejusmodi & ſimilibus caſibus hæreditatis jacentis juris ſit, paucis

examinabimus, melioris ordinis gratiâ facturi Capita IV. qvorum I. hæreditatem in genere; hæreditatem jacentem & ejus differentiam à vacante; II. tempus, qvo jacere dicitur hæreditas; III. actiones prout vel competunt hæreditati jacenti, vel contra illam dantur & deniqve; IV. ejus contraria contineat. Ante omnia autem DEUM O. M. humilimè imploramus, velit nobis ſuâ gratiâ aſſiſtere, ut omnia cedant & procedant feliciter.

# CAPUT I.

## De

## *Hæreditate in genere; hæreditate jacente & ejus differentiâ à vacante.*

CUm Vocabulum hæreditatis ratione originis per ſe ſatis ſit clarum, ideò fusè hîc de ipſius etymologia dicere ſuperſedeo: illud tamen breviter tangere placet, utrum *hæreditas* & *hæres* rectiùs per e ſimplex, an per æ diphthongum ſcribatur? Grammaticorum Curioſorum eſt, hæcce rimari, qvi partim vocis radicem qværunt in verbo *hærere*, atqve hinc natam vocem hæres putant, qvòd defunctus & heres cohæreant ac una perſona habeantur, Nov. 48. in præfat. & qvòd familia defuncti qvaſi juncta ad ſucceſſionem deſcendat, *arg. l. 30. ff. ex qvib. cauſ. maj. l. 2. §. 2. ff. de præt. ſtipul.* Alij verò ab ære h. e. pecuniâ, ceu cujus appellatione totum alicujus patrimonium, in qvo heres ſuccedit, continetur *l. 178. l. 222 ff. de V. S.* hæredis nomen, inqvit Iſodorus impoſuit cenſus æris: moti etiam qvan-

qvantitate ſyllabæ vocis heredis primæ, qvæ producitur; & refert Roſinus *8. Antiqvit. 19.* Veteres ſcripſiſſe æreditas, ſine adſpiratione, non hæreditas vid. *Mynſ. Hottom. in Comm. ad §. ult. Inſt. de hered. qvalit. & different.* Alij verò heredem ab heredio (qvod erat ager duorum jugerum, qvæ Romulus diviſit ac ſic appellavit, qvod heredes ſeqveretur) per ſynecdochen partis pro toto, tanqvam ſucceſſionis objecto deducunt: Alij verò à verbo herciſcere, h. e. dividere. qvod hereditas inter heredes plurimùm dividatur, unde etiam familiæ erciſcundæ phraſis in jure notiſſima: Alij deniqve & qvidem pars Interpp. maxima, qvorum ſententiam non probamus, derivant à vocabulo *Herus*; qvòd heres ſit herus hereditatis & dominium rerum in eo, maximè ſi ſuus ſit heres, continetur *l. 11. ff. de liber. & poſth.* certumq; ſit, qvòd veteres heredes appellarint, qvos nos modò dominos ſive heros vocamus, promiſcuusqve vocum harum fuerit uſus, vid. *§. ult. Inſt. de hæred. qval. & differ. l. 25. ff. de uſufr. l. 11. §. 6. l. 43. ff. ad L. Aqv. l. 22. l. 78 ff. de acqvir. hered. l. 23. §. 2. ff. de fideic. libert. l. 19. § 4. ff. de caſtr. pecul. Funger. in Etymologia harũ vocum*, innites inſuper autoritate Vett. inſcriptionum & maximè ff. Florent. ubi voces has nunqvam cum diphtongo ſcriptas inveniri, ſed ſemper per e ſimplex, liqvet: qviqve non officere arbitrantur, quod heres vox primam habeat longam, herus verò primam brevem; ſiqvidem novum non eſt, qvod vocabula derivata qvalitates ſyllabarum diverſas admittant; v. g. tegula à tego, tutor à tueor, divus à Græco διός; cujuſcemodi plura vid.

*Franc.*

*Franc. de Petr. 3. feſt. lect. 5. num. 1.* &, qvem ibi laudat, A. Gell. *12. N. A. 3.* Tu, viator Juris, ſeqvere, qvod uſu & eruditorum autoritate probatur. Vocatur autem hereditas aliàs in jure dominium *l. 1. ff. de bon. poſſeſſ. l. 48. ff. de hered. inſtit. l. 37. ff. de acqvir. hered.* ex hac, uti videtur, ratione qvòd olim in primordijs humanæ ſocietatis dominium rerum non egrederetur limites domus, cùm ultra id, qvod qvisqve occupaſſet atqve intra domicilij ſepta contineret, ſe non extenderet. Hereditas verò olim vocabatur familia, objectivè ſumpta, in LL. XII. tabb. unde hodienum titulus in ff. legitur famil. erciſc. ut qvoqve à domo credibile ſit, hereditatem dominium fuiſſe appellatam *Feltman. tr. de jure in re & ad rem c. 17. §. 21.* Sumitur autem hereditas dupliciter *abſolutè* & *relatè*: illo modo materialiter denotat, qvoddam confuſum & univerſale, ambitu ſuo comprehendens omne à defuncto relictum *l. 178, §. 1 ff. de hered. petit.* ſeu res hereditarias, ut patet *ex tit. ff. expil. heredit. Franciſc. Duar. 1. tom. diſp. de acqvir. vel amitt. heredit. Hahn. ad Weſenb. tit. de heredit. petit. n. 2.* uno verbô ſignificat patrimonium demortui patrisfam. *Bald. p. 1. conſ. 585. num. 2.* Hæc acceptio JCtis freqvens adeò non eſt, ut vel ex unic. §. 3. *Inſt. de reb. corpor. & incorpor.* pateſcit. Verùm illa frequentior qva *l. 24. ff. de V. S.* hereditas prædicatur ſucceſſio in univerſum jus defuncti, h. e. jus ſuccedens in locum defuncti eumqve repræſentans, ne ob defectum ſubjecti extingvantur jura, qvæ fuerunt illius, dum adhuc ſuperſtes eſſet; & hoc jus, ſive ſucceſſio intuitu futuri, nondum adeuntis

tis

tis hæredis vocatur HÆREDITAS JACENS *l. 13. §. 5. ff. qvod vi aut clam. Henning. Wegner. Comment. in tit. ff. de V. S. ad d. l. 24.* Ad aliam porrò ſignificationem accedimus; Duplici enim ratione conſideranda nobis venit hæreditas relativè accepta, in *actu* nimirum *primo* & *ſecundo:* in actu primo eſt legitima poteſtas vel ex teſtamento vel lege hæredi delata, in univerſis rebus & bonis à defuncto relictis, cujus vi hæc bonorum univerſitas illi, ſi modò velit, vel ſolâ voluntate, ritè declaratâ acqviri poteſt; Vel eſt tale jus, qvod perſonam ita afficit, ut inde heres nuncupetur & jam idoneus ſit acqvirere; unicó verbô eſt ipſum jus ſuccedendi hæredi competens; poſteriori modó, ſive in actu ſecundo denotat ipſum actum ſuccedendi, ſive ipſam ſucceſſionem ab hærede exercitâ in univerſum jus, qvod defunctus habuit. *Frantzk. ad pr. Inſt. de hæred. qvalit. & differ.* qvod pro diverſa qvalitate hæredis vel per immixtionem, vel aditionem fieri ſolet. Qvanqvam ut fateor, neceſſe ſit, genus hoc tropicum eſſe, cum hæreditas ipſa ſucceſſio, qvatenus hæc hæredi tribuitur, non ſit, ſed qvi vi legis aut voluntate defuncti heres efficitur, eo ipſo, qvo agnoſcit debitâ voluntatis declaratione defuncti judicium, in univerſum jus defuncti intelligitur *Bachov. ad Tr. vol. 1. Diſp. 12. th. 1. lit. a.* attamen nonniſi jure delato hæreditario, eſſetqve potius hoc ſenſu hæreditatis per ſucceſſionem adqviſitio. Cùm autem omnium defunctorum par conditio non ſit, qvibusdam planè nullum invenientibus ſucceſſorem, qvibusdam qvidem aliqvem, ſed vel ignorantem, vel deli-

berantem, vel controverſiam ſuper ſucceſſione patientem, itaqve Dd. hæreditatem cœperunt diſpeſcere in *vacantem* & *jacentem*; illam ſtrictiùs vocant, qvando nullus invenitur, neqve naturalis neqve legitimus heres usqve ad decimum gradum, *Gail. 2. obſ. 150. n. 1.* qvod prævià diligenti diſqviſitione & citatione eorum, qvos cauſa ſucceſſionis attingit explorandum eſt, *Alex. conſ. 107. in pr. lib. 5. Coler. proc. execut. part. 2. cap. 3. n. 389.* adeò ut nec ſpes ulla appareat, qvem bona aditurum eſſe, *Schulz. ſynopſ. ad Inſt. de ſucceſſ. fiſc.* qvô demum caſu bona ad fiſcum devolvi patet ex *l. 1. & l. fin. ff. de ſucceſſ. edict. l. 114. §. 2. ff. de legat. 1. l. 4. C. de bon. vacant. Dn. Stryk. in tr. de ſucceſſ. ab inteſt. diſſert. 5. c. 1. §. 42. Tholoſ. ſyntagm. jur. lib. 3. c. 12. num. 8.* modò rectè agnoſcat *l. 4. §. eandem ff. de fideicomm. libert.* Vel qvi jure fiſci gaudent, uti de Jure Saxon. & Lubec. ſunt magiſtratus, qvi habent merum imperium, *Mev. ad jus Lubec. p. 2. tit. 2. art. 14. num. 64.* Paucis exceptis, qvorum hæreditas ad ea corpora, qvorum pars erant, non ad fiſcum redire ſolet, de qvibus vid. *l. 20. C. de Epiſc. & Cleric. l. un. C. ſi liberal. imperial. ſoc. ſine hæred. &c. & tot. tit. C. de hæredit. decur.* qvod malè Tiraqvell. ad omne collegium licitum extendit *in tr. le mort. p. 2. declar. 15. num. 6. add. B. Dn. Brunnem. ad C. tit. de hæredit. decur. in fin. Dn. D. Stryk. tr. de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 5. c. 1. §. 38. Schulz. ſynopſ. ad Inſt. de ſucceſſ. fiſc.* Jacere autem dicitur hæreditas, qvando nemo de præſenti reperitur, qvi hæreditatem adire vult, *Menoch. de arbitr. judic. qvæſt. lib. 2. cent. 2. caſ. 150. num. 6.*

vel

vel qvando jus rerum hæreditariarum non eſt acqviſitum alicui veræ perſonæ. *Senat.Pedemont. deciſ. 51.n.12.* ſpes tamen adeundi eſt *l. 69. de acqvir. hæredit. l. 82. de hæred. inſtit. l. 4. C. de bon. vacant. arg. l. 1. pr. ff. de ſucceſſ. edict.* h. e. qvando bona non habent ſucceſſorem, ſperatur tamen de proximo. *Gail. 2. obſerv. 130. num. 1. Coler. Proceſſ. execut. p 2. cap. 3. num. 388.* Qvoad extraneos res hîc ſatis expedita eſt, ratione verò ſuorum hæredum egregium oritur dubium, hi enim, cum ob arctiſſimam cum defuncto conjunctionem, juxta qvam una vinculo poteſtatis patriæ cenſentur perſona, nullâ aditione, nullâ pro hærede geſtione opus habent, ſed eis ipſo jure acqviritur hæreditas, tàm ex teſtamento, qvàm ab inteſtato, etiam abſentibus & ignorantibus *l. 8. C. de jur. deliber. l. 1. §. 7. ff. ſi qvis omiſſ. cauſ. teſtam. l. 14. ff. de ſuis & legitim. hæred. Franciſc. Duar. tom. 1. tit. de effectu aditionis hæred. Richter. deciſ. 67. n. 11.* adeò ut dominium rerum hæreditariarum in eos continuari, nec de novo per ſucceſſionem acqviri videatur *l. 1. §. ſciendum 8. ff. de ſuis & legit. hæred.* qvaſi ne qvidem hæreditas fuiſſet in medio *l. in ſuis 11. de liber. & poſth. Gloſſ. in l. 9. C. depoſ.* Eqvidem ſecundùm juris civilis rigorem, qvo inviti etiam ſui ex legis neceſſitate hæredes efficiuntur, ne parentes ſine hærede moriantur *§. 1. Inſt. de hæred. qvalit. & different.* nec vel momentum temporis, qvo careat hæreditas domino, dari poterit: qvandoqvidem verò jure Prætoriô ſuis hoc in paſſu abundè ſit proſpectum ac ſaluberrimum abſtinendi beneficium introductum, cujus vi arbitrio filij re-

linqvitur, an velit jure ſuo uti, nec ne *l. 1. & 2. C. ſi minor ſe ab. hæredit. abſt. l. cum hæreditate patris 55 ff. de acqvir. hæred.* omninò ſicut extranei an adire, an repudiare, ita ſui an immiſcere ſe, an abſtinere velint, deliberandi ſpatium petere & impetrare poſſunt *l. 8. & 9. C. de jur. delib.* redigitur enim hoc ipſo abſtinendi beneficio ſuus heres ad inſtar emancipati *l. 59. ibiq; Bald. ff. de legat. 1. Menoch. 2. arbitr. 250. num 6. ſeqq.* Ex hoc cum evadat manifeſtum, ſuum realiter & cum effectu hodiè non fieri hæredem, anteqvam ſeſe hæreditati paternæ ſponte immiſcuerit, qvod & moribus receptum eſſe, teſtatur *Carpzov. lib. 6. Reſp. 64. num. 7. Richter Vol. 2. conſ. 39. num. 9.* conſeqvetur, hæreditatem omninò à morte parentis haberi pro jacente, donec ſuam filius declaret voluntatem. Hinc ſtatutum Florentiæ de bonis jacentibus conceptum extendit Decius *conſil. 344. col. 1.* ad caſum, qvo filius defuncti extat, qvem ad hujus rei deciſionem allegat & ſeqvitur *Menoch. de arbitr. judic. qvæſt. lib. 2. cent. 2. caſ. 150. num. 6.*

## CAPUT II.

### De

### *Tempore, qvo jacet hæreditas.*

SAtis hactenus dictum eſt, ni fallor, de hæreditate qvando jacere, item qvando vacare dicatur: nos, qvibus animus jam non eſt de vacante prolixiùs tractare, illi tantummodò, qvæ jacere JCTIS dicitur, inhærebimus, proximum nunc eſſe, rati de tempore,

qvando

qvando hæreditati à jure ad qvietem conceſſum eſt, diſpicere. Cùm autem res paululùm intricata ſit, operæ pretium erit, illam à principijs accerſere & ſerie diſtinctâ trahere. Duplicis generis hæredes ſunt, teſtamentarij alij, alij ab inteſtato venientes: utriqve autem ſtatim, poſtqvam cognoverunt, hæreditatem ſibi eſſe delatam, rectâ viâ vel adire, vel ſeſe immiſcere velle declarant; aut dubij ſunt, admittendane illa ſit, nec ne: illo caſu, qvando dubium nullum eſt, proximos cognatos hæredes fore à Juſtiniano *in Novell. 115. c. 5. §. 1.* præſtitutum eſt novendium, ſive ſpatium novem dierum, à morte defuncti debitoris numerandum, intra qvod nulla prorſus actione hæredes à creditoribus moleſtari debent aut poſſunt; adeò, ut qvod contra factum fuerit, ipſo jure nullum ſit, *B. Brunnem. ad Auth. ſed neqve C. de ſepulcr. violat. num. 5. Rittersb. ad Novell. p. 13. c. 6.* cum qvo concordant libri *βασιλικῶν l, 5, tit. 12. ibi: ἀλλὰ μηδὲ &c.* Qvæ res à conſvetudine gentilium originem ſuam trahit, qvibus defuncti per illud temporis intervallum ſupra terram adhuc eſſe & hæredes lugere videbantur, qvorum familia qvoqve funeſta dicebatur *l. 28. § fin. ff. de ſtipul. ſervor.* donec pontifices, qvo ritu, qvave victima funeſta eſſe deſineret, ſtatuerent. *Cujac. 6. obſ. 31.* unde in nonum usqve diem juſta defunctis *μνημόσυνα* perſolvebantur & poſt denicale ſacrum illi ſepulturæ mandabantur, *vid. Scalig ad Varron 3. de rit. Popul. Roman. Bachov. ad Tr. vol. 2. diſp. 12. th. 7. lit. c. Gothofr. in not. ad l. 28. § fin. ff. de ſtipul. ſerv. lit. b. ac Gutber. tr. de jur. man. lib. 1. c. 16.* Qvod

ſpatium qvoqve concedendum eſſe hæredibus neceſſarijs tantùm, ſive qvi ipſa juris poteſtate fiunt hæredes, aſſerit *Bachov. ad Inſt. de hered. qvalit. & different.* Altero caſu, qvo dubitant hæredes, licitum ipſis eſt, vel petere deliberationem, vel ſecundùm Juſtiniani conſtitutionem neglectâ deliberatione adire hæreditatem, vel ſeſe immiſcere, legitimò tamen confectô inventariô, ad cujus inchoationem, ſi hæreditariæ res ſint in loco, 30. ad plenam verò confectionem alios inſuper 60. dies, vel ſi alibi res ſitæ ſint, integrum annum habent *l. fin. §. 2. ſin autem dubius & §. 11. Donec C. de jur. deliber. ibiqve Gloſſa.* Hinc Dd. communiter tribus diverſis temporibus hæreditatem jacere ſtatuunt (1.) intervallo, qvod eſt à die mortis defuncti usqve ad aperturam tabularum, vel qvo heres comperit, ſucceſſionem ad ſe eſſe devolutam, per *d. l. fin.* (2.) tempus jacentis hæreditatis faciunt à die notitiæ teſtamenti vel cognitæ ſucceſſionis usq; ad diem 30. incluſivè, ubi heres ſe præparat ad conficiendum inventarium. Et inde (3) ad ſexaginta usqve dies, ut adeò in univerſum trimeſtri ſpatio jaceat hæreditas præſentibus, abſentibus autem illis annali. *Carpz. p. 3. c. 13. d. 14. Coler. proc. exec. p. 2. c. 3 num. 393. ſeqq. Mev. ad Jus Lubec. p. 2. art. 14. n. 3.* Verùm re oculatiùs inſpectâ, ac ſecundùm juris ſubtilitatem examinatâ, abſurditatis maculam vix evitabit, qvi ſimpliciter cum communi ſchola hîc facere conetur, qvandoqvidem inter omnes conſtat, qvòd confectio inventarij absqve aditione præviâ fieri non poſſit, qvippe cujus vi ad perfectam demum rerum

hæreditariarum pervenit heres notitiam, illa ſc. aditio autem hujus ſit naturæ, ut res defuncti ſtatim confundat, cum rebus hæredis, ita ut unum cenſeatur eſſe patrimonium (prout latiùs de hoc infra capit. ultim. tractabitur) qvo ipſo animadvertere promptum eſt, tali caſu, cùm hæreditas amplius nulla ſit, fruſtrà qværi, num jaceat, cùm non-entis nullæ ſint qvalitates. Defendi tamen eatenus communis aſſertio poteſt, qvòd durante dicto tempore omnes contra hæredem competentes actiones qvieſcere debeant, nec ullâ ratione illum moleſtare creditoribus permiſſum ſit. *Coler. p. 1. deciſ. 76. Carpz. p. 3. c. 14. d. 15.* Qvando verò deliberationem petit heres, illi datur anni ſpatium à Principe; ab inferiori autem magiſtratu ſaltem novem menſium tempus *l. fin. §. 13. C. de jure deliber.* ad qvod tempus tamen judex non eſt adſtrictus, & id uſus hodierni eſſe teſtatur *Zœſ. ad l. 2. ff. de re judic.* poteſt enim in hac re arbitrari, ſed minus centum dierum intervallum non dare debet *l. 1. §. ult. cum l ſeq. ff. de jur. deliber. Schneidew. ad §. extraneis de hæred. qualit. & differ. num. 7.* qvanqvam hodiè ferè ubiqve per ſtatuta Civitatum de hoc termino proviſum ſit. *Bart. ad l. 1. de jur. deliber. Richter. velit. Academ. 13. th. 37.* Jure Saxonico hæreditas inter præſentes ſaltem jacet 30. dierum ſpatio, computatione factâ à tempore ſcientiæ mortis defuncti vel cognitæ ex teſtamento vel ab inteſtato hæreditatis *Carpz. p. 3. c. 14. d. 14. Richter. in Expoſit. ad Auth. ſed neqve C. de ſepulcr. violat. Coler. proc. execut. p. 2. c. 3. n. 598.* Et de hac generali conſvetudine Provinciarum

Saxo-

Saxonicarum æqve in feudalibus ac allodialibus teſtatur *Henning. Gœdenus conſ. 11. ſub rub. de ſucceſſ. feud. num. 8. ac ſeqvitur Weſenbec. conſ. 3. n. 24.* Ratio diverſitatis hîc inter Jus Civile & Saxonicum eſt in aprico: ibi enim heres, ſi ſemes, nullô factô inventariô, adeat, tenetur creditoribus hæreditarijs in ſolidum, licêt vires hæreditariæ ad ſummam debiti non aſcendant *l. ſi. pr. & §. 1. de jur. deliber.* In Saxonia autem ob introductum beneficium juratæ ſpecificationis ſecus obſervatur. vid. Landrecht *lib. 1. art. 6. Hartm. Piſtor. lib. 2. qvæſt. 2. num. 44.* Cui adſtipulatur Jus Canonicum *c. Raynutius & c. Raynaldus X de teſtament. Carpzov. p. 2. c. 1. d. 20. & 21. Sande l. 4. deciſ. tit. 7. def. 7.* Sed hîc non levis ſeſe offert difficultas, qvandoqvidem Jure Saxon. hæreditas nullo modo damnoſa eſſe poteſt, & heres nunqvam ultra vires hæreditarias tenetur, aditione ſpecialiter opus eſſe non videtur, ſed absqve illa extraneos etiam fieri hæredes, refert *Richter. deciſ. 67. num. 26. & vol. 2. conſ. 8. num. 14.* ut vacuum temporis non detur, qvo hæreditas pro jacente haberi poſſit. Sanè verum hoc eſt, ſi qværamus de transmiſſione, licèt enim extraneus ante aditionem moriatur, tamen ad proximiores ſecus ac Jure Civili *l. un. §. in noviſſ. C. de caduc. tollend.* hæreditatem transmittit. *Schulz. ſynopſ. ad inſt. tit. de hæred. qvalit. & differ. lit. c.* qvoad effectum verò actionum, qvæ dantur in hæredem, aſſertio fallit, ſiqvidem anteqvam aditio fiat, nulla lite hæredem pulſari poſſe, in propatulo eſt. *Carpz. p. 3. c. 14. D. 15.* Qvodſi qvis inſtitutus ſit heres ſub conditione,

reſpi-

reſpiciendum, utrum illa ſit poteſtativa, an caſualis: ibi, ſi heres differat parere conditioni, poteſt ad inſtantiam creditorum ei à Judice ſtatui terminus, intra qvem conditioni pareat, qvodſi non fecerit, bona venduntur per curatorem *l. 23. §. 1. ff. de hæred. inſtit. l. 1. pr. ff. h. t. l. 70. §. 1. ff. de acqvir hæredit.* qvodſi inſtitutus ſit ſub conditione caſuali expectandus eſt eventus; curator tamen bona, qvæ urgent, h. e. qvæ tempore peritura ſunt, diſtrahit, *d. l. 23. §. 2. & 3. Richter. velit. Academ. 13. th. 45. & 46.* Hæc tamen omnia, qvæ continentur in hoc capite, vera ſunt & procedunt in caſu, ubi inter hæredes nullus invenitur poſthumus; ſi autem mulier prægnans eſt, adiri non poteſt hæreditas *l. cum qvædam §. 1. ff. de acqvir. hæred. Rofred. Benevent. in cenſ. jur. Cæſar. tit. de action. in fact. ex illo edict. ſi mulier ventris nomine qvæſt. 4.* ſed jacere tunc debet, donec mulier partum enixa ſit.

## CAPUT III.

### De

### *Actionibus tàm paſſivis, qvàm activis hæreditatis jacentis.*

UT conſtat ex jure, corpus vel cadaver defuncti nullo modo ſiſti, vexari, aut exequias ejus impediri ac prohiberi debere *l. fin. C. de ſepulcr. violat. Novell. 60. c. 1. l. ne corpora 38. ff. de religioſ. & ſumpt. funer. l. pen. C. quæ ſentent. ſine appellat. reſcind. l. 59. §. fin. ff. de re judic.* ita hæreditas jacens, qvam de-

functi perſonam interim, ſeu donec adeatur, repræſentare paulò ante à nobis demonſtratum eſt, adverſus omnem turbationem & moleſtationem plenè ſecura ac privilegiata eſt, ut neqve vi judicati, neqve vi pacti cum defuncto celebrati, neqve vi Statuti executivè contra eam agi poſſit. *Berlich. concl. 80. num. 38. Coler. proc. exec. p. 2. c. 3. num. 387. cum ſeq.* Loqvor autem de executione inſigni & potentiori, cujus effectus reſpondet miſſioni in poſſeſſionem ex ſecundo decreto, qvo turbatur ſtatus rerum hæreditariarum. *Bald. ad c. contingit num. 26. de reſtit ſpoliat. Coler. proc. execut. p. 2. c. 3. num. 373.* Qvod in tantum verum eſt, ut, licèt ſententia contra viventem lata ſit, illo poſtea intra prædictum tempus defuncto, hæreditate nondum aditâ, judicatum executioni mandari neqveat, tàm in caſu, ubi mora ſine interpellatione hominis committi non poteſt, qvàm cum dies ſolutioni eſt præfixus, ita ut dies interpellet pro homine. Cum enim hæreditas repræſentet defunctum, qvi neqve citari, neqve latitare, neqve ſecundum decretum pati poteſt, in aprico eſt, eâ jacente nullam culpam, nullam moram & nullum animi conſilium intercedere intelligi *arg. l. ſi conſtante 24. § ſi ex hæredit. ff. ſolut. matrim. vid. omninò Bald. in l. licet* 8. *num. 8. C. de jur. deliber.* Sin autem pœna ſolutionis certa die non factæ promiſſa ſit, ante diem promiſſore mortuo eam committi, ac ſi jam adijſſet heres debitoris, dubium non eſt, hæreditate licet adhuc jacente *l. 77. ad diem ff. de V. O. l. 2. & fin. ff. de naut. fœn.* Jure Saxonico idem receptum eſſe, teſtatur *Carpzov p. 3.*

*deciſ.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0026

*deciſ. 284. num. 10. ſeqq.* priùs dicta etiam ratione inſtrumentorum gvarantigiatorum & executivorum obtinent, ut & illorum intra diem trigeſimum ſuſpenſa ſit executio. *Coler. proc. execut. p. 2. c. 3. num. 396.* Excipiuntur tamen hîc qvidam caſus & inter hosce (1.) ex mente interpretum legatum, pauperibus ad alimenta, nempe futura relictum; ne enim fame pereant, conceſſum ipſis eſt, non ſolùm ingredi, ſed etiam pro ſua neceſſitate exercere poſſeſſionem rerum hæreditariarum vid. *Coler. proceſſ. execut p. 2. c. 3. num. 423. cum alleg. Dd.* Moribus etiam receptum eſt, qvò Familia defuncti durante trigeſimo percipiat alimenta, qvæ in numerum rerum hæreditariarum conſignatarum non referantur *Coler. dict. loc.* (2.) qvando ſumtus funeris causâ fieri debent, cum enim de altero qvis funerari non debeat *l. 12. §. 3. ff de religioſ. & ſumpt. funer.* pro illis æqve ac ad pias cauſas relictis hæreditas, etiam nondum adita, diſtringi poteſt. *Angel. ad l. 1. § hæc ſtipulatio C. de jur. deliber.* Ratio eſt, qvæ pro religione facit *l. 43. ff. de religioſ. & ſumpt. funer. vid. omninò l. 12. §. 3. eod.* videtur enim, qvi impendit in funus, cum defuncto contrahere *l. 1. ff. de religioſ. & ſumpt. funer. ibiqve B. Brunnem. num. 5.* (3) volunt paratam executionem dari in hæreditatem nondum aditam, in caſu mandatæ reſtitutionis uſurarum ſolvendarum debitoribus, à quibus fuerunt exactæ, ad purgandam conſcientiam defuncti *Alex. in l. fin. §. donec num. 2. 3. C. de jur. deliber.* videlicet propter animæ periculum, qvæ omnibus rebus anteponenda *l. ſancimus C. de SS. Eccleſ.*

*c. cum informitas X. de pœnit. & remiſſ.* vid. etiam ſuper his caſibus exceptis *Gail. 1 obſerv. 130. num. 3. Græv. lib. 2. pract. concluſ. 130. per tot.* Exinde, qvòd judicialiter cum effectu contra hæreditatem jacentem nihil intentari poſſit, evidens per ſe eſt, propriâ autoritate citra pœnam poſſesſionem hæreditatis occupare nemini conceſſum eſſe, ſed teneri talem ex *l. ult. C. unde vi. Menoch. tr. de recup. poſſeſſ. remed. 13. num. 44. ſeqq.* ac debere eam reſtituere domino ut invaſor vel fur. *Bald. ad alleg. l. ult.* Certè filio neqve ratione legitimæ propriâ autoritate occupare poſſesſionem vacantem rerum hæreditariarum, neqve fideicommiſſario ratione rerum fideicommiſſarum conceſſum eſt, juxta Senat. *Pedemont. deciſ. 34. num. 22. & 23.* qvàm rectè, dabit conflictus. Non alienum tamen videtur à Jure Saxon. qvod ante trigeſimum ab obitu defuncti poſſesſionem hæreditatis apprehendere hæredi interdicit, niſi rerum conſervandarum gratia id fieri neceſſe ſit, *Carpz. p. 3. c. 14. D. 16.* Dantur tamen caſus, qvibus, ſi legitimos judicij tramites heres obſervare nolit, propriâ poteſt autoritate hæreditatem occupare, qvorum qvatuor enumerat *Bald. ad l. 3. C. unde vi num. 3.* Cæterùm cùm per ingreſſum, qui conceditur immisſione ex primo decreto in bona hereditaria, nulla poſſesſio & per eam turbatio inducatur, ſed nuda ſaltem cuſtodia & placida detentio tribuatur, æque ut contra pupillum, ſi à nemine defendatur, tutore puta vel cognatis, primum decretum datur *l. apud Julian. 3. pr. & arg. l. 7. pr. & §. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſ. &c.* etiam

iam locum habet contra hereditatem jacentem, ſimilis enim eſt hoc in caſu illa pupillo. *Coler. proc. execut. p. 2. c. 3. n. 420. Weſenbec. in Comm. ad C. tit. de judic. l. cum debito 7. n. 3. facit huc l. dies 4. §. 6. ff. de damn. infect. in verb. cæterum ſi non ſit, cui denuncietur &c.* præſertim ſi diu incertum ſit, ex teſtamento heres extiturus ſit, nec ne, & tamen periculum in mora, cùm in hereditate fortaſſe ſint res, quæ ſervando ſervari ægrè posſint, *vid. l. 8. ſi diu ff. quib. ex cauſ. in poſſeſs. eat. Gail. 2. obſ. 130. n. 6.* Jure Saxon. tali in caſu, ubi periculum eſt in mora, heredi etiam ante trigeſimum ingredi hereditatem rei ſervandæ causâ permitti, patet ex Landrecht *lib. 1. art. 22. verb.* der Erbe mag wohl *&c. Carpz. p. 3. c. 14. dict. d. 16. Coler. proc. exec. p. 2. c. 3. n. 420.* Cum hoc ingreſſu quia concordat arreſtum Saxonicum, vel conſuetudinarium, quod aliàs non turbat poſſesſionem debitoris, nec defuncti etiam ſepulturam impedit, ſed arreſtanti ſaltem tribuit hypothecam judicialem in hereditate jacente, illud æque concedi rationis eſt. *Carpz. p1. c. 30. d. 38. & in proc. tit. 21. art. 3. n. 20 ſeqq. Coler. proc. exec. p. 1. c. 2. n. 209.* Hinc ſequitur, quando accidit, quòd creditores properent, quò unus præ alio ante trigeſimum diem impetret arreſtum, poſt trigeſimum demùm venientem poſtponi illi, qui ante dictum diem arreſtum eoq; jus reale conſecutus eſt, cùm priorem tempore, potiorem quoq; jure eſſe, dubio careat, licet demùm cùm in proceſſu ſuper validitate arreſti pronunciatur per retrotractionem tacitam hoc pignus ab initio impetrati arreſti interveniſſe fingatur

*arg. l. potior* 11. §. *videamus. verb. cùm enim ſemel C. qui pot. in pign.* quoniam vi ſententiæ judicis ratihabitio trahitur retrò ad initium cujusque actus *c. ratihabit. X. de R. J. in 6to.* Mirum autem cui videri poſſet, quod Lex ſeu conſvetudo in tali arreſto inducat hypothecam, cùm hereditas eô tempore extra naturam quaſi ſit propter defunctum, quem repræſentat, cum quô, ut nullus planè alius, ita nec pignoris contractus celebrari poteſt. Verùm cum negotium hoc ita comparatum ſit, ut nullam perſonæ præſentiam deſideret, ſiquidem licet adeſſet, actui tamen reſiſtere eumque impedire non valeret, perinde ut in aliis hujusmodi juris materiis, de quibus vid. *Gail. 2. obſ. 142. n. 2. Felin. in cap. qualiter* §. *licet. n. 5. de accuſat.* quam ob rem abſentia hîc nihil obſtare creditur. *Richter. vol. 2. conſ. 460. n. 6. ſeqq. conf. latiùs Finckelth. obſ. 15.* ubi præprimis *n. 13.* multa celeberrima Collegia in terris Saxonicis allegat, quæ pro validitate arreſti intra trigeſimum impetrati pronunciarunt, & *in fin. d. obſ.* Habet Reſponſum Facult. Jurid. Lipſ. hiſce verbis: **Daß der innerhalb des 30ſten angelegte** arreſt **vor kräfftig billig zu achten.** Satis de actionibus paſſivis, pauca de activis ut annectam, ordo rei me monet, quoniam juris ſubtilitate mortui per hereditatem, quorum perſonam illa ſuſtinet, cenſentur adhuc eſſe in vivis, eaque, hujus intuitu non tantùm acquirat, quod ipſa ex ſe habet, fructus ſcilicet omnes tam ex foetibus, quâm aliis rebus *Carpzov. p. 1. deciſ. 20. n. 2. & deciſ. 21. n. 19.* ſed extrinſecus etiam aliunde, imò nonnunquam totam

aliam

aliam hereditatem, ſi inſtituatur heres, vel pingvia legata. *Anton. Fab. in inſtit. tit. de hered. inſtit.* prætereà quæ per ſervos hereditarios, tanquam remedium acquirendi ſibi facit propria, iſta tanquam legitima acquiſita obtinendi, eidem actionem dari, nemo fortè dubitat. Quandoquidem verò habili in judicio ſtandi perſona non gaudet, ſive actoris, ſive rei vices ſuſtineat, ne judicium ſit nullum, propter defectum perſonæ, curator ei datur, qui non ſolùm eam defendat ac creditoribus reſpondeat. *Carpz. p. 1. c. 28. d. 8. n. 2. ſeq.* ſed quoq; omnes omninò actiones, etiam tempore non perituras, môveat, *Menoch. de arbitr. Judic. quæſt. lib. 2. cent. 2. caſ. 150. n. 8.* qua in re differt à curatore bonorum abſentis & vagabundi, qui juxta communem Dd. opinionem tantummodò movere poſſunt actiones tempore perituras; ut poſt Azonem reſpondet Angel. *conſ. 130. in fin. & conſ. 193. col. 2.* Ille curator quaſi heredis negotiorum geſtor eſt *arg. l. 13. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ut nec lite inter conſanguineos de proximitate ortâ, unus eorum ſub cautione tunc ad adminiſtrationem rerum hereditariarum admittatur. *Carpzov. lib. 6. Reſponſ. 36.* Quæ verò requiruntur, ut Curator detur, tradit Petr. Januin. *tr. de citat. real. lib. 3. c. 9. Cornazz. cap. 150. per tot.* nimirum (1.) quando dubium eſt, an adſit heres, ſperatur tamen proximè extiturus; Sin autem de herede conſtet, datur & conſtituitur ipſi heredi certus terminus ad adeundam vel repudiandam hereditatem *l. ſiquis inſtituatur 28. §. 1. & 2. ff. de hered. inſtit.* ad eorum ſcil. inſtantiam, quorum intereſt. *Menoch. de*

*arbitr.*

*arbitr. Judic. quæſt. caſ. 150. n. 4.* (2.) quando adeſt heres, ſed dubium adhuc eſt, utrum ſit aditurus, nec ne, quæ dubitatio ſi oriatur ex eo, qui futurus eſt heres, etiam certum tempus iſti aſſignatur, intra quod vel adeat vel repudiet. Sin verò dubitatio illa aliunde proveniat, v. g. quòd fortè ſub conditione caſuali inſtitutus, dabitur curator. *Menoch. d. l. n. 5.* & tunc res arbitrio Judicis committitur. *Menoch. ibid.* Quando autem creditoribus à curatore ſatisfieri debeat, citari priùs debent nominatim illi, quorum prima cauſa ſucceſſionis eſt. *Aret. conſ. 110. Alex. conſ. 107. lib. 5.* Tandem etiam curator hereditati jacenti datus ad reſciſſionem contractus ex cauſa læſionis agere poteſt *Carpzov. p. 3. c. 14. d. 8.*

## CAPUT IV.

### De

### *Contrariis hereditatis jacentis.*

NOn eodem modo, quo hereditas jacens dicitur ſuſtinere perſonam defuncti, eadem repræſentat in jure heredem futurum, ſed ex eventu ſaltem hereditatis aditæ; Cum enim aditionis hæc ſit natura & effectus, ut heres quandocunque adeundo per fictionem juris translativam à tempore mortis, defuncti jura acquiſivisſe credatur *l. heres 54. ff. de acquir. vel amitt. heredit. l. omnia ferè 193. ff. de R. J. Habn. ad Weſenbec. tit. de heredit. petit. Franciſc. Duar. tom. 1. tit. de effect.* aditio-

*aditionis lib. 2. tit. 1.* inde fit, ut intuitu ſubſecuturæ aditionis heredis perſonam ſuſtinere hereditas interim dicatur *l. 24. in fin. ff. de novat. Jacob. Oiſelius ad Inſtit. Caji lib. 2. tit. 1.* Sic quoque Paulus *lib. 27. ad edict.* tempus aditionis cum tempore mortis conjungit, ut nullo temporis momento hereditas jacuiſſe intelligatur vid. *l. omnis hereditas 138. ff. de R. J.* ipſum inſtans autem, remotâ fictione hâc, & incertum eventum ante aditionem forte præmorientis aut repudiantis heredis ſi attendas, jacere interim hereditatem, ac eandem defuncti perſonam repræſentare, omninò dicendum eſt. *Bachov. ad Tr.* & in hoc ſtatu tamdiu perſiſtit hereditas, donec revera ſequatur aditio. Eſt autem adire, hereditatem ſuſcipere vel ex teſtamento, vel ab inteſtato & ſibi aditum in eam facere, *Cujac. lib. 7. obſ. 18.* vel ut ex AZone tradit Tholoſ. *Syntagm. jur. lib. 46. c. 4. n. 1.* animo & facto ire ad hereditatem, ſuſcipere, agnoſcere tanquam ſuam, idque mediante declaratione vel verbali vel reali: Illud ſi fiat, dicitur in ſpecie aditio: Hoc pro herede geſtio §. *ult Inſt. de hered. qual. & differ.* Quæ quidem diverſa ſunt, ſed effectu conveniunt *l. 24. §. 7. ff. de acquir. hered.* cum nihil interſit, ſive quis voluntatem ſuam apertè, ſive facto & reipſa declaret *Perez ad l. 6. C. tit. 30. n. 20.* Ac antiquitùs quidem ſolennis erat aditio fiebatq; coram magiſtratu, *Ulpian in fragm. tit. 22.* unde & in *l. 77. ff. de R. J.* inter actus legitimos illa refertur, quæ ſolennia hodiè latâ conſtitutione Theodoſij evanuere *l. 17. C. de jur. deliber.* Quam primùm itaque heres declarat ver-

bis, nutu aut ſimili aliquo indicio de quo vid. *Bart. in l. pro herede ff. de acquir. heredit.* ſe velle eſſe heredem, hereditas ſtatim eſſe deſinit, ac per anaphoram ſaltem & improprie ita vocatur, cum bona hereditaria tunc ita confundantur, ut non amplius heredis patrimonium habeatur *arg. l. 10. §. 2. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit. Alex. lib. 6. conſ. 198. n. 10. Modeſt. Piſtor. conſ. 55. n. 5. Vol. 1.* Et in foro Saxon. idem obſervari teſtis eſt *Carpzov. lib. 6. Reſp. 73. n. 6.* niſi per querelam reviviſcat hereditas. Ut enim per aditionem actiones confunduntur, ita inſtitutâ querelâ reſcinduntur *l. 2. & 3. ff. de condict. indebit. Bald. ad l. 22. ſi maritus C. de inoffic. teſt.* Cæterum cum acquiſitio hereditatis, uti ex ante dictis clarum eſt, animi ſit, & ſcientiam ac voluntatem deſideret plenam, naſcitur inde quæſtio, quâ ratione furioſus, ſi exiſtat heres, poſſit adire? Durante furore ipſum non poſſe, dubio caret, neque poſſe hoc fieri per procuratorem, tradit *Gloſſa in l. 89. ff. de acquir. vel amitt. heredit.* neque per Curatorem *Perez. in C. lib. 6. tit. 30. n. 22.* num jacet ergò hereditas, usque dum ad ſanam redeat mentem? An potiùs illam fiſcus ob defectum habilis heredis tanquam vacantem occupat? Juxta antiquam legum obſervantiam, ſecundùm quam curator non admittebatur, dubia hæc res erat, hodiè verò cum æq; curator, ut bonorum poſſeſſionem petere, ita & adire hereditatem poſſit per text. *l. ult. C. de curat. furioſ.* res deciſa eſt, & hereditas ultra tempus, quo aditio per curatorem facta eſt, jacere non credi-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0034

tur *Perez. d. l.* Ob eandem ferè rationem infanti per aditionem tutoris acquiritur hereditas efficaciter *l. 18. C. de jur. deliber. ibidq; Perez. Angel. conſ. 103. Aret. conſ. 109. Dec. conſ. 875.* & per curatorem hereditatem jacentem capto à Turcis acquiri, docet Matth. de Afflict. *deciſ. 256. n. 3.* Quocunque autem modo adeat heres hereditatem, non tenetur expectare autoritatem Iudicis, ſed propriâ autoritate bona hereditaria occupare poteſt *arg. l. 22. de acquir vel amitt. hered. l. fin. §. 1. C. de jur delib. l. 1. §. 1. ff. quor. legat. Dn. Stryk. tr. de caut. contr. ſect. 3. c. 3. §. 10. Carpz. p. 3. c. 9. d. 27. n. 4. Doring. in Bibliotb. verb. ſequens diviſio tit. de interdict. Habn. ad Weſenb. tit. de acquir. vel amitt. hered.* niſi quis reſiſtat, tunc enim opus eſt actione *Carpz. p. 3. c. 9. d. 7.* Aliquando ipſo jure hereditas habetur pro adita, ſcil. quando nullo modo adduci poteſt heres ad adeundum & reſtituendum poſtulanti fideicommiſſario, quoniam nemo ad factum præcisè cogi poteſt, & vi Sc. Pegaſiani aditio facta creditur *arg. l. penult. §. 1. ad Sc. Trebell. vid. Bachov. ad §. ergo Inſt. de fideicomm. hered.* Hoc omittendum omnino hic non eſt, quòd poſſeſſio facti ſit, & non niſi apprehenſione acquiratur *l. cum heredes 23. ff. de acquir. poſſeſ. Dn. Stryk. l. antea alleg. Habn. ad Weſenb. tit. de heredit. petit. n. 9.* ubi elegans habet præjudicium Helmſtadienſe, ſive ſit extraneus ſive ſuus, quoniam hereditas non poſſidet, neque igitur poteſt poſſideri, niſi apprehendatur poſſeſſio *Bald. ad l. 3. C. de edict. div. Hadr. toll.* nec adita igitur hereditate poſſeſſio in nos tranſit,

niſi ſpecialiter & actualiter, uti dictum, fuerit appre-henſa prælaud. Dn. *Stryk. d. l. Roſr. Benev. in cenſ. ad jus cæſar. de act. in fact. confeſſ. col. 6. circ. fin.* ſecundum tamen multorum locorum conſuetudinem, receptum eſt, ut ad modum dominii poſſeſſio rerum hereditariarum ipſo jure tranſeat in heredem, cum ab inteſtato, tum ex teſtamento venientem. *Franciſc. Duar. tom. 1. tit. de effectu aditionis* ut ille â morte teſtatoris cenſeatur hereditatem poſſediſſe *Carpzov. p. 3. c. 9. d. 27. n. 6. Hahn. ad Weſenb. tit. de acquir. vel amitt. hered. n. 7. in fin.* eaque nullo temporis momento jacuiſſe. *Ant. Fab. in C. lib. 7. tit. 7. def. 5.* Atque ſic ratione heredum extraneorum rem conſideraſſe ſufficiat. Suos quod ſpectat, illi opus non habebant aditione aut geſtione pro herede, ſed ipſo jure & neceſſariò heredes exiſtebant, *l. 14. ff. de ſuis & legit. hered.* Usque dum à Prætore acceperint beneficium abſtinendi, vi cujus ante eorum declarationem vel immixtionem haberi hereditatem pro jacente, ſupra demonſtratum dedimus. Illud Prætoris beneficium non tamen eò trahendum eſt, quaſi per factum immixtionis novi quid, quod antea non habuerint, acquirant, ſed quæſitum jamtum attingentes ſe retinere velle, ſaltim declarent *l. 12. §. fin. ff. de bon. libert. Vinn. ad §. ult. Inſtit. de hered. qualit. & differ.* Hæc declaratio ſi expreſsè fiat, dubio res caret; Sin verò filius ſuper abſtentione ſe neque declaraverit, neque ſeſe immiſcuerit, ſed tacuerit, reſultat quæſtio: Num filius ſit habendus pro eo, qui ſeſe immiſcuerit, an verò pro

abſti-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0036

abſtinente? Onera hereditaria atq; incommoda videntur ſuadere hoc; Commoda è contrà illud. Bachovius *ad Tr. vol. 2. diſp.* 12. *th. 3. lit. a.* eò inclinat, quod ratione onerum tali in caſu filius non immeritò haberi debeat pro abſtinente; Reliqua verò, quæ filio etiam expreſsè abſtinente, nihilominus valuiſſent, valeant, aut ſi non, ad declarationem filii plenam ſuspendant; Quæ ſententia â vero propiùs eſſe videtur ac opinio Bartoli, quam d. l. adducit Bachovius. Plures aliæ quæſtiones, quæ deciſionem merentur, occaſione cujuslibet capitis, itemque jura provincialia, ſtatutaria & conſvetudinaria adjungi & deduci potuiſſent, ſed propter impedimentum improviſum hæc etiam contra propoſitum ſufficiant. Pro felici itaq; conaminum ſucceſſu ſempiternam Soli Deo nuncupamus Gloriam.

Corol-

# COROLLARIA.

I.

*SPonſalia non videntur contracta, ſi virgo ambiguè reſpondeat:* Jſts auch fragens werth.

II.

*Judæus ex teſtamento Chriſtiani legatum accipere poteſt.*

III.

*Mors abſentis in bellum fortè profecti per unum etiam teſtem probatur.*

IV.

*Actor vel reus non debent ædes Judicis privatas adire, ipſique arcana cauſæ ſuggerere.*

V.

*Advocati, qui reum vel inquiſitum in injuſtâ causâ per varias ſuggeſtiones ad mentiendum*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0038

*& tacendam veritatem inſtruunt, non ſolùm quoad Deum, ſed etiam quoad mundum quàm maximè peccant.*

## VI.

*Proceſſus ex L. diffamari C. de ingen. manumiſſ. cum actione injuriarum non poteſt cumulari.*

## VII.

*Documenta literaria in judicio poſſeſſorio ſummariſſimo originaliter producta ab adverſa parte recognoſci debent.*

## VIII.

*Ad reaſſumtionem proceſſus & recognitionem documentorum ſpeciale requiritur mandatum.*

## IX.

*Sanguis ex vulnere, ore, vel naſo hominis interfecti ad tactum vel acceſſum cujusdam profluens, non eſt ſufficiens ad torturam indicium.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0039

# VIRO
*NOBILISSIMO & CONSULTISSIMO*
DOMINO
# LEONHARDO EHRHARDO,
*J. U. Doctorando longè Digniſſimo,*

Diſcipulo quondam exoptatiſſimo, nunc Amico Suaviſſimo, novum hoc ſplendidi honoris Axioma lætus gratulor:

* * *

*NOSTER ERHARDIADES PRIDEM VIRTUTE CORUSCUS,*
*MAJORI EN PLAUSU TANTA BRABEA CAPIT.*

Feſt. ſcrib.
JOHANNES Weiſſenborn/ SS. Th. D.
Eccl. Præd. Erf. Paſt. Prim. & Gymn. Eph.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0040

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0041

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0042

Erfurt, Diss., 1694–95

ULB Halle 3
005 607 604

TA 7 OL

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0043

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0044

DIVINIS AUSPICIIS

DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

# JURE HÆREDITATIS JACENTIS,

Quam

Ex DECRETO & AUTHORITATE

*Amplisſimi JCTORUM Ordinis*

IN PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA

PRÆSIDE

*VIRO MAGNIFICO, & PRÆNOBILI,*

DOMINO

## JOH. HENR. Meier/

*JCTO, & Decretal. Prof. Publ. Facult. Jurid. p. t. DECANO, Judic. Elector. Mog. Aſſeſſore, &c.*

PROMOTORE & FAUTORE ſuo honoratisſimo,

*Pro LICENTIA DOCTORALEM GRADUM obtinendi,*

Publico Eruditorum Examini

*Die 8. (18.) Aprilis, A. C, M. DC. XV.*

Horâ IX. in Auditorio Collegij Major.

ſubmittet

## LEONHARDUS Ehrhard/

Smalcaldenſis,

Regiminis Saxo-Meiningenſis Advocatus.

---

*ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33913/fragment/page=0045